



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Vigesium Tertium. Encomium Marianum Vigesium Septimum et
Octavum. Turris Davidica & Eburnea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

*litatis & rubens Rosa charitatis ardentissime
 MARIA perveniat obsecro ad me fragrantis
 aromatum tuorum, te sentiat spiritus meus in
 nocte, te exoptent præcordia mea per diem, tibi
 suaviter afficiatur cor meum, te medullitus di-
 ligant intima mea hilariter in tuis laudibus oc-
 cupetur mens mea semper.*

CAPUT VIGESIMUM
 TERTIUM.

*Encomium Marianum Vigessimum
 Septimum et Octavum.*

TURRIS DAVIDICA
 & EBURNEA.

Turres in magnis amplisque civitatibus
 arcibus iisque locis quos contra ho-
 stes munire intendimus construi experien-
 tia novimus: quia serviunt ad hostium infi-
 dias à longe speculandum & prævenien-
 dum, quin & ad munimentum & singulare
 ornamentum: sic olim Paterfamilias à
 Christo Domino in parabola propositus
 cum plantasset vineam eiꝰ, sepem circumde-
 disse

disset torcularque fodisset, deniq; pro majori ejus & munimento & ornamento *turrim* in ea *ædificavit*: videtur idem fecisse cœlestis Paterfamilias; postquam enim plantasset vineam *Synagogam* Judæorum, in fine ejus quoque *turrim* ædificavit, ut ruente jam ad interitum vinea turris illi superesset: turris inquam illa de qua cœlestis sponsus *Cant. sicut turris David collum tuum, natus tuus sicut turris Libani*: Et de qua ipsa cœlestis sponsa, *Ego inquit sicut turris Virgo inquam* sacratissima quam *Ecclesia Turrim Davidicam & Eburneam* salutat. Et vere eam *turrim* fuisse jam videbimus.

§. I.

IN turrium ædificio, quæ maxime miris & laudes tria sunt: profunditas, altitudo, & munimentum quod præstat: tria hæc in *Turre Davidica* atque *Eburnea* excellentissimo quodammodo reperire est: ut non immerito *Mellifluus Doctor Bernardus* *serm. de Assumpt. Virg. B.* præ admiratione exclamarit: *Quis ergo inquit misericordie tue o benedicta longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissi-*

novissi-

novissimum invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra, sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restorationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem.

Uti ergo quo ædificium turris excelsius, altiusque moliri intendimus, tanto quoque altius seu profundius fodimus fundamentum, ut quandoque tantum sit quoad profunditatem fundamentum, quantum quoad altitudinem moles superstructa. Unde bene S. August. serm. 10. de verbis Domini. Magnus inquit esse vis à minimo incipe, cogitas magnam fabricam construere celsitudinis de fundamento, prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in suprema consurgit, qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur. Quod est fastigium constituenda celsitudinis & fabricæ, quam molimur? qui per venturum

*turum est cacumen aedificij? cito dico usque ad
 conspectum Dei: videtis quam excelsum est. Ex
 quibus aureis verè verbis facile ominari
 est, quanta fuerit turris Davidica ac Ebur-
 nea Virginis dico superbenedictæ profun-
 ditas, quanta humilitas cum enim eam
 Deus Opt. Max. super omnem creaturam
 puram super omnes Angelos, Archange-
 los, Virtutes, Dominationes, potestates,
 elevare exaltareque intenderet, utique &
 fundamentum humilitatis infra omnes
 creaturas ponere debuit: Numquam enim
 (ut rectè asseruit S. Maxim. serm. de B. Virg.)
 MARIA super cæli solium ascendisset, nisi men-
 tis humilitate, prius sub omnibus descendisset.
 Et Dion. Carth. serm. 2. in Assumpt. Virgo in-
 quit altissima, profundissima humilitate fuit
 vallata, unde & ipsa fatetur, quia respexit hu-
 militatem ancille sue: Quæ verba intentius
 perpendens: ô mira exclamat & profunda
 MARIÆ humilitas. Ecce Angelus MARIAM
 alloquitur dicens: Ave gratia plena. MARIÆ
 Spiritus sancti superventio gratiosa promitti-
 tur, MARIA in Matrem Dei assumitur, MA-
 RIA omnibus creaturis preponitur, MARIA
 cæli, & terra Domina efficitur, & tamē pro om-
 nibus*

nibus

nibus his superbia nulla extollitur, imo & in omnibus his mira humilitate se deprimit dicens: *Ecce Ancilla Domini. Non dixit: ecce Domina mundi, sed ecce Ancilla Domini.* Conformiter August. Bernard. *ô MARIA exclamat tu spiritum elationis, virtute humilitatis penitus contrivisti, quam ita in te respexit Dominus ut ipsius merito super omnes choros Angelorum te sublimare dignam putaverit, numquam enim super omnes choros Angelorum sublimata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses.*

§. 2.

VArijs autem figuris sponfus cœlestis utitur, ut hanc Virginis sacratissimæ humilitatem adumbret: Et primo quidem comparat eam lunæ inquiens: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna:* habet autem hoc luna præ alijs planetis sibi proprium; quod quando est plenissima dum est plenilunium, ut ob hoc merito gloriari deberet, cristasque erigere, tunc quasi se humiliando incipit diminui, & deficere splendor ejus, quod ut quidam per emblemata proponeret lunæ plenæ hæc supposuit verba: *Consummata minuitur*

minuitur: Certe in Virgine excellentissima
 & humillima simul hoc ipsum quoque in-
 tueri licet: verè enim luna hæc mystica *con-*
summata minuitur : Cum enim esset jam
 magnificata nimis, ut etiam fateretur sibi
 maxima à DEO facta : *fecit* inquit *mihi*
magna qui potens est, mox etiam minui cœ-
 pit humilians se inquit : *quia respexit hu-*
militatem Ancillæ suæ, Cum jam tantum
 lucis & splendoris haberet ut ipsum justi-
 tiæ solem utero gestaret, *Ecce* inquit *An-*
cilla Domini. En qualiter hæc luna consum-
 mata minuatur. Ut jure merito *Bernardus*
 exclamet: *Quæ est hæc tam sublimis humili-*
*tas, quæ cedere non novit honoribus, insole-
 scere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & An-*
cillam se nominat: non mediocris revera humi-
lilitatis insigne, nec oblata tanta gloria obliuisci
humilitatem, non magnum est esse humilem in
abjectione, magna prorsus & rara virtus hu-
militas honorata. Sed amplius si libeat hanc
 lunæ in consummatione minutionem vi-
 deamus: in summis ab *Elisabetha* cognata
 sua sibi delatis encomijs : *Vnde hoc mihi ut*
veniat Mater Domini mei ad me: Ecce ut facta
est vox salutationis tuæ in auribus meis, exul-
tavi

tavit

tavit in gaudio infans in utero meo : Et beata
 que credidisti, quoniam perficientur in te que
 dicta sunt tibi à Domino. Magna quidem præ-
 conia, sed & devota humilitas nihil sibi passa
 retinere, in eum magis universa refudit, cujus
 in se beneficia laudabantur. Tu inquit magnifi-
 cas Matrem Domini, sed magnificat anima mea
 Dominum : in voce mea filium meum perhibes
 exultasse in gaudio, sed exultavit spiritus meus
 in Deo salutari meo : Beatam esse dicis que cre-
 didisset, sed crudelitatis & beatitudinis causa
 respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis
 beatam me dicant omnes generationes, quia an-
 cillam humilem & exiguam respexit Deus.

§. 3.

VT amplius cœlestis sponsus sponsæ
 suæ humilitatem & humilitatis pro-
 funditatem ob oculos ponat, nec non o-
 stendat quantum sibi in ea complacuerit:
*Vulnerasti inquit cor meum soror mea sponsa,
 vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum
 & in uno crine colli tui: per hunc crinem col-
 li intelligit B. Abbas Tuitiensis Rupertus,
 Virginis humilitatem ita inquires: Nec ve-
 rò solummodo in uno oculorum tuorum vulne-
 rasti cor meum, sed & in uno crine colli tui, id
 est in*

est in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem, & indeficientem esse conspexi. Quid uno crine gracilius? & quid humilitate subtilius? quid crine flexibilius? & quid humilitate confractius? crinis unus vix comparet, humilitas tua vix consentit, quod computari possis inter homines. Iste est crinis colli humilis cogitatus mulieris caput non habentis: caput inquam id est virum neque habentis neque habere volentis.

Invenias homines qui omnia divina praecepta à se amovere conentur pravam consuetudinem & difficultatem prætendentes: si homini carnalibus delicijs & voluptatibus dedito castitatem suadeas, divina praecepta, fornicationem, omnem illicitam carnis voluptatem vetantia ob oculos ponas, obviabit mox suo cantico: *non possum*: si ebrioso & potationibus dedito, si avaro, iracundo, alijsque similis farinae hominibus, vitiorum suorum turpitudinem, detrimenta, & vitandi necessitatem ad vivum depingas, idem quod à priore responsum reportabis: sed numquid quis dicere audeat humilis esse non possum? recte & ad

D d rem

rem Bernardus, Audis inquit Virginem, audis humilem, si non potes virginitatem humilis, saltem imitare humilitatem virginis, laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista precipitur. De illa dicitur qui potest capere capiat: de hac autem nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum: illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari, sine humilitate non potes. Et ut habeant quod ex hujus Bmæ Virginis humilitatis exemplo discant virgines, quæ de sua virginitate fatuè gloriantur & superbiunt: præfatis mox jungit idem Bernardus, quid dicis inquit virgo superba? MARIA virginem se oblita gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blandiris tibi de virginitate? Respexit ait illa humilitatem ancilla suæ: Quæ illa virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Numquid tu castior illa? numquid devotior: aut forte numquid tua pudicitia gratior castitate MARIE, ut tu sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua. Deniq; quanto honorabilior es ex singulari munere castimonie, tantò tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdes permixtione

mixtione superbia. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium est virginitas, multo tamen paucorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in MARIA non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi, quod si & Virgo, & humilis es, quisquis es magnus es.

§. 4.

NEC solum optime fundata & per humilitatem profundata fuit *Turris nostra Davidica*, sed & munita per omnium virtutum clypeos dicente de ea cœlesti sponso: *sicut turris David collum tuum, quæ adificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: Quin & ipsa humilitas si Abbati Tuitiensi credimus inter hosce clypeos turrim hanc munientes & protegentes jure merito primum sibi vendicat locum: unde explicans præfata Canticorum verba: Quid erat inquit Turris David? Putasne illa turris manufacta, de qua legitur cœpitq; David Syon hæc est civitas David. Imo turris David non manufacta fuit, cui tuum collum ô dilecta debeat assimilari, & hæc est humilitas David. Atque hic sensus placet*

magis filia Syon ait Dominus Deus apud Isaiam
 elevata sunt, & ambulaverunt extento collo,
 & nutibus oculorum ibant, & plaudebant,
 Hac fuit superbia illarum, propterea expugnari
 potuerunt. Tuum autem collum nequaquam ex-
 tentum fuit, sed est sicut turris David, id est
 sicut humilitas David, per quam ille coram Deo
 fortis, & contra homines stetit inexpugnabilis.
 Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus,
 qui & cum esset Rex unctus dixit ad Saul cum
 eum ille persequeretur. Quem persequeris Rex
 Israël, quem persequeris? canem mortuum &
 pulicem unum. Turris ista edificata est cum pro-
 pugnaculis & mille clypei pendent ex ea, omnis
 armatura fortium, id est hanc tantam ejus hu-
 militatem cetera virtutes consequuta sunt,
 maximeque fortitudo & sapientia, sicut scri-
 ptum est: David sedens in Cathedra sapientissi-
 mus, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus,
 qui octingentos interfecit impetu uno. O qualis
 hac turris, qualia propugnacula? ex ea mille cly-
 pei pendent, omnis armatura fortium, quia pro-
 pter humilitatem accepit ut caneret & scriberet
 verba fortitudinis, verba sapientia & verita-
 tis: tam multa ut millenarius numerus vult in-
 telligi: tam fortia ut omnibus exinde armatus,
 nihil

nihil falsitatis sistere possit. Ita collum tuum, imo & ultra quam turris illa, collum tuum, id est humilitas tua, quæ sedet vel paret in collo tuo non extento, ædificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Nihil enim deest illic omnium quæ continentur in scripturis veritatis, & neque invisibilis diabolus, neque visibilis homo hereticus è contra potuit, vel unquam poterit. Adde illud quod maximum est, quia verbi cujus mysterij consecuta est ut caneret humilitas Patris tui David, verbi inquam ejusdem substantiam concepit & incarnatam peperit humilitas tua ò filia David. Hucusque Rupertus qui benè humilitatem pro maximo hujus Davidicæ turris munimento constituit, qua nimirum sola in nobis existente, nihil est quod nocere, nulla est tentatio quæ nos vincere possit, Deo humiles sub umbra altarum suarum protegente: ea autem sola ablata pateamus omni rûinæ, nullæ tentationi superiores esse possimus, Deo gratiam suam superbis subtrahente, quâ sublata quid restat nisi in omne scelus ruamus: hinc optime Bernard. serm. 54. in Cant. Time ergò sublata gratia inquit tanquam mox casurus.

Time quia reliquit te custodia tua: nec dubites in causa esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis: Quod enim tu nescis, scit Deus: & qui te iudicat ipse est, sed nec qui se ipsum commendat probatus est, sed quem Deus commendat. Numquid commendat te Deus cum gratia privat? aut numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? ergo argumentum superbiæ privatio est gratia, quanquam interdum subtrahitur gratia non pro superbia quæ jam est, sed quæ in te futura est nisi subtrahatur, sed sive jam existens sive nondum: superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ.

§. 5.

Sed Turris Davidicæ fortitudinem ulterius explicans Sponsus cœlestis, mille inquit clypei pendent ex ea omnis armatura fortium, ac si manifeste dicat nihil armorum, nihil quod hanc turrim inexpugnabilem reddere possit illi deest, nimirum *terribilis est sicut castrorum acies ordinata. Terribilis dæmonibus inquit & S. R. E. Card. Petr. Dam ordinata virtutibus.* Non enim humilitate solum sed & alijs virtutibus copiosissime ornata & munita fuit Virgo sacratissima te-

ma teste *Doctore Extaico Dionys. Carth.* Per
 collum tuum mentis inquiring intelligi solet
 voluntas, qua sua libertate in altum extendi-
 tur. Porro voluntas Virginis benedicta verè
 fuit liberrima, id est subjectissima & obedi-
 tissima Deo, cui seruire regnare est, id est vitijs
 concupiscentijs & vanitatibus, daemonibus
 prevalere ac dominari. Hec voluntas Reginae
 ac Dominae nostrae per charitatem fuit altissima
 imo summo universorum principio perfecte u-
 nita ac directissime ad ipsum extensa, per pro-
 fundissimam humilitatem, & inestimabilem
 pietatem ad miseros inclinata, cunctis donis ac
 virtutibus ad voluntatem spectantibus scilicet
 charitate Dei, ac proximi in qua nihil mansit
 de proprio, nec de privato amore, sed abnegatis-
 sima fuit, & resignatissima Deo. Et clarius ad
 verba Cant. Collum tuum sicut turris Ebur-
 nea. Collum inquit spirituale virginis admi-
 randa est, libertas anima ejus semper ad Deum
 rectè erecta, nullo culparum pondere pressa,
 nulla incursione hostili vincibilis, sed instar E-
 burneae turris omni virtutum constantia soli-
 data, valdeq; alta, quia ad summum bonum in-
 avertibiliter elevata.

Et causam tantæ munitiois assignans quidam recens author ait sacratissimam Virginem creatam fuisse eum in finem, ut Draconis infernalis & principis tenebrarum esset flagellum, hinc à primo conceptionis exordio usq; ad vitæ suæ terminum, à Deo ipso summè custodita fuit, & præmunita instar munitissimi propugnaculi, quod serpens antiquus nedum invadere, sed nec accedere præsumeret: hinc & ipsa in *Cant.* describitur quasi undique turribus vallata *ubera mea inquit sicut turris, ex qua facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

§. 6.

NON parum etiam extollit TURRIM MARIANAM, quod sit *Eburnea*: *ebur*, enim præterquam quod sit res candida, frigida, munda, & rubicunda: summæ quoque soliditatis est, fit enim de ossibus & dentibus Elephantis & tantæ est soliditatis quod ignibus non faciliter concrematur: sic & *Turris Eburnea* Virgo sacratissima præterquam quod sit candidissima, frigida & rubicunda per castitatem, solidissima quoque est ut jam allata, & *Ebur* cui comparatur ostendunt. Ut meritò *Guerricus*

Bernar-

Bernardi pijsſimus in colenda Virgine B̄ma
 xmulus aſſeruerit: *ſerm. i. in Annunt. Dom.*
 mihi inquiring ſane magis mirari libet, illud
 Ebur tam pretioſum imo & impreciabile vir-
 ginalis caſtimonie, de quo ſibi ſedem & turrim
 facere delegit, qui ſedet ſuper Cherubim. Hęc
 inquiring requies mea in ſeculum ſeculi, hic ſe-
 debo quoniam elegi eam. Quam nitidum Ebur
 illud quod oculis tanti tamq̄ diuitis Regis pla-
 cuit, in cuius diebus argentum nullius eſt pretij,
 quam frigidum, quod nec à conceptu concaluit,
 quam ſolidum, quod nec partus violaſcit, quam
 candidum ſimul & rubicundum, quod candor
 lucis æternæ, igniſque Spiritus ſancti uniuerſa
 ſui plenitudine replevit: MARIA ſiquidem &
 ipſa candidior nive, rubicundior ebore anti-
 quo, cui ſcilicet incomparabilem & caſtitas can-
 dorem & charitas ſeu martyrimum rutilantem
 præ antiquis electis noſcitur contuliſſe rubo-
 rem. Nam & ſuam ipſius animam pertransiuit
 gladius, ut Mater ſummi Virginis & Martyris
 eſſet, & Virgo, ipſa & Martyr, candida & rubi-
 cunda, quemadmodum dilectus ejus candidus,
 & rubicundus. Quam beatus igitur ille venter
 Eburneus, unde caro Eburnea ſumpta eſt Re-
 demptoris, pretium animarum, miraculum

Angelorum, solium summæ majestatis thronusq; potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanctitatis. Beatus inquam venter ille, qui te Domine IESV portavit, felix castitas uteri verginalis, quæ huic operi materiam ministravit. Felix prorsus fratres mei nitor illius Eboris, id est candor castitatis, cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicujus excellentis gratiæ nostri præfecit electio Salomonis; si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem Ancilla suæ respexit Dominus. Proinde namq; Salomon cum in carmine amoris castitatem deprædicaret Virginis seu sponsæ videlicet seu sponsi, quia quorum spiritus, unus & caro una, in plerisque etiam laus una, ut castitatem illius adornatam, nostramq; adornandam, cum alijs virtutibus doceret, ait venter ejus eburneus distinctus saphyris.

Ob eandem causam Eboris scilicet candorem & soliditatem, Turrim nostram Eburneam suspicit & deprædicat maximo pere Rupertus: verè ait pulcher & decorus venter Eburneus, quoniã sicut ebur magni corporis scilicet Elephantis tota pulchritudo, totumq; pretium est, sic iste venter ex genere hu-
mano

mano assumptus, totius mundi decus & gloria est. Pulchrius namq[ue] atq[ue] pretiosius est ebur, carne vel corpore reliquo de quo sumptum est, & nihilominus caro dilecti, adde & dilecta hujus pulchrior, mundior, & incomparabiliter sanctior, est omni massa cujus ex sanguine sumpta est. Soliditatem autem ejus ac fortitudinem celebrat exponens Cant. verba: *Colum tuum sicut turris eburnea: verè inquit sicut turris eburnea, quæ est aspectu amabilis & statura fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis: Diabolo autem terribilis & inaccessibilis.*

Ad hanc igitur turrim & pulcherri-
mam, & munitissimam incessanter prope-
ret cor & anima nostra, ut & ab ea ornari,
& ab hostium insidijs securi esse possimus,
cum *Seraphico Bonaventura* assidue excla-
mantes: *Esto nobis Domina turris forti-
tudinis, & petra durissima conterens ini-
micum.*